

DEDICATIO



DEO UNI ET TRINO,
ET
FILIO DEI
INCARNATO.

Tibi consecro DEUS ineffabilis modo unus & trine ,
& Fili DEI ejusdem substantiae & gloriae in carne subsistens , hanc Theologiam mysticam . Non verò audaciæ mihi de-

DEDICATIO

putetur , quòd ego abyssus vanitatis, ignorantiae , & nihil Deo abysso veritatis, sapientiae , bonitatis & rerum omnium, præsumam hunc imperfectissimum & minimum libellum offerre , cùm authores nec humano Principi vel Regi audeant opus aliquod dedicare nisi oratâ priùs & exoratâ licentiâ . Nam licet Deus sit supermaximus (ut mysticorum phrasis habet) tamen una est superoptimus , & licet sit infinitæ gravitatis & majestatis , tamen simul est infinitæ benevolentiae & humanitatis , ut etiam levissima servorum suorum dona & munera non despiciat . Quare ô Deus , ô Fili Dei , ô Spiritus Dei , ô Trinitas unus Deus , de immensa tua clementia præfidens ad thronum infinitæ